

IOANNIS DE
MONTEREGIO SUPER
VSV ET CONSTRUCTIONE
Astrolabij Armillaris Ptolemæi, enarratio.



ASTROLABIUM Armillare quo Ptolemæus plurimum usus est, & ante eum Hipparchus ad inuestigandum motus omnium stellarum, tam fixarum, quam erraticarum, Sole dempto, sex orbibus contexitur, quorum extremus & idem maximus, officium habet Meridiani, in quo & duo mundani exprimuntur poli, quibus adheret introrsum orbis alius ultro citroque mobilis, deferensque secum quendam orbem ad rectos sibi angulos connexum, qui quoniam viæ Solari accommodatur, & duodecim signorum spacia gestat, eclipticæ uocabulum haud iniuria usurpabit. Qui uero polis mundi adhæret, Delator eclipticæ uocari poterit, quod eam hac atque illac deferat. Inter hunc delatorem & Meridianum præfatum, alius est orbis, delatori ad hærens, non quidem in polis mundi, sed alijs duobus punctis, per æqua interualla ab utroque mundano uertice remotis, qui eclipticæ polos repræsentant, tantumque à polis mundi utrimque secedunt quanta reperitur maxima Solaris obliquatio. Ille orbis nuncupabitur index superior, quod super eclipticam rotari solitus, loca stellarum in ipsa ecliptica, secundum longitudinem commonstrare debeat. Est enim & alius huic similis sub ecliptica ad idem officium allegatus, qui quod sub ecliptica decurrat, index inferior rite cognominabitur. Hoc autem amplius habet, quod in eo numeri latitudinum ab ecliptica utrimque perpendicularuntur, superioribus quidem Boreali, inferioribus autem Austrinæ latitudini accommodatis. Superiores dico eos, qui superiori eclipticæ parti literis ornatae superstant. Huic memorato orbi intus adaptatur alius, nusquam ab eo recedens, sed libere in

g

eo